32

SUMMI GRATIA MEDICI

COELITUS ANNUENTIS
AUTORITATE ATQUE PERMISSU
GRATIOSISSIMI MEDICORUM IN CELEBERRIMA AD SALAM ORDINIS
SUB UMBONE
VIRI NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI AC EXPERIENTISSIMI

DN. GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI,

MED. DOCT. ANAT. CHIRURG. ET BOTAN.
PROF. PUBL. FAMIGERATISSIMI,
PATRONI AC PRÆCEPTORIS
OMNI OBSERVANTIÆ CULTU PROSEQVENDI,

DISPUTATIONEM INAUGURALEM
DE

SUFFUSIONE

VULGO
Vom Staar/
PRO

DOCTORIS

GRADU SUMMISQUE IN MEDICINA OBTINENDIS
MORE MAJORUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
IN AUDITORIO MAJORI,
Die 27. Januarii Anno Salutis MDCXCI.
Horis ante - & pomeridianis
publico Eruditorum examini ſubjiciet

JOHANNES GEORGIUS HAST, Oſnabrugâ-Weſtph.

JENÆ, LITERIS KREBSIANIS.

PRÆNOBILISSIMIS, CLARISSIMIS, HONORATISSIMIS ATQUE ÆSTUMATISSIMIS

DOMINIS,

DOMINIS PATRONIS, FAUTORIBUS AMICIS SUIS AC FAMILIARIBUS.

hanc Diſſertationem

eà, quâ par eſt,

humilitate

animique

candore

Dedicat

AUTOR.

PRÆLOQVIUM.

QUanta ſit Visus utilitas, imò Dignitas, vel contrarii ſtatûs exemplo patet, Cæci enim communi loquendi formulâ, miſerrimi appellantur. Visûs beneficio incommoda noſtra proſpicimus, proſpecta poſtmodum averruncamus; ubi abeſt periculum, ad voluptatem convertimus, & gratiſſimo pulcherrimarum rerum aſpectu mentem ipſam oblectamus. Quid verò utilius jucundiusve, quàm omnia totius hujus univerſi opera intimiûs paulò contemplari, & ex creaturis Creatorem cognoſcere? Cui eſt proximum, quod alter Diſciplinæ hic ſenſus eſt: ut enim præcepta auditus, ſic viſus rerum ſpecies in animum fidelis cuſtos admittit, non ineptus corporearum rerum arbiter, quarum vix ſincera fieri poteſt ipſo inconſulto æſtimatio; quo fit ut iſto quanto quisque plus valeat, tanto doctrinæ capacior veniat exiſtimandus. Dignitatem visûs vel vulgare teſtatur proverbium: Non patitur luſum Fama, Fides, Oculus. Quare & malefici pœnæ loco nobiliſſimo hoc ſenſu privantur, ſive Magiſtratûs decreto, ſeu juſtiſſimo ipſius Numinis judicio: uti videre eſt *Geneſ.cap.19. v.11.* in Sodomitis domum Loth inva-

dentibus, in Saulo per triduum cæco *Act. 9. v. 9.* ac paſſim alibi. Licet autem allata cæcitatis exempla caufis ſupernaturalibus jure videantur adſcribenda, nihilominus & variæ dantur cæcitatis ſpecies, ex cauſis naturalibus oriundæ, quarum unicam hac vice, *Suffuſionem* ſcil. juſſu Illuſtris Facultatis Medicæ, loco Diſputationis Inauguralis, pertractare animus eſt: Te verò O Lux Inaccessa! tenebricoſos mentis noſtræ oculos ut Spiritus Tui radiis illuminare velis, quò verum à falſo ſecernere, in Tui Nominis gloriam & proximi ſanitatem, valeamus, rogamus ſupplices.

I.

REi explicationi non immeritò *nominis ſignificatio* præmittitur. Vocamus igitur *Suffuſionem*, quando pereunte pelluciditate pupillæ, velo quaſi obducto, receptio radiorum & intra oculum admiſſio vitiatur. Dicitur Suffuſio à ſuffundendo, quaſi aliquid pupillæ ſubfundatur, quod viſum impediat; & ſi quis perpendat, quid ſit ſuffuſum ſanguine, wann es mit Blut unterlauffen/ ſine dubio hujus in oculo ſuffuſionis rationem perfacilè capiet. Accipitur 1. generaliter, pro quavis cæcitatis ſpecie, externè oculi ſtructurâ integrâ apparente, noſtro cumprimis idiotiſmo, quo ſuffuſio in albam & nigram (den ſchwartzen und weiſſen Staar) diſtinguitur. 2. Specialiter pro ſuffuſione etiam fiente; 3. Specialiſſime pro ſuffuſione perfecta & per Chirurgiã curabili. Audit etiam aliàs, ſed translatè, Catarhacta, nã propria catarhacta & catarhactes ſunt fores pendulæ, quæ demitti pro voluntate dirigentiũ poſſunt, (2) vocantur obices quib9 aquæ curſ9 temperatur, (3) obex ſeu vectis, quô porta obfirmari ſolet, qvæ ſignificatio hîc quã appoſitiſſimè quadrat, nam ſicut obex forib9, ita catarhacta pupillæ

præ-

præfigitur. Græcis ὑπόχυμα & ὑπόχυσις. Arabibus aqua, ſeu aquæ deſcenſus, vid Epiphan. Ferd hiſt. 25. Gallis Epandement, la cataracte en l'œil, Italis Cataratta, caduta, caſcata, Anglis A cataract, Belgis een Val-Vlies/ Germanis der Staar/ ein Uberſchuß/ das Sternen-Fell im Auge appellatur.

II. Sed miſſis ad *nominis* declarationem pertinentibus, *rei* ipſius tradamus Definitionem: *Suffuſio eſt læſio viſionis, ab humoris aquei, intra corneam tunicam & humorem cryſtallinum exiſtentis, concremento, dependens.* Loco *Generis* ſeu rationis formalis vocabulum læſionis poſitum, hanc enim adeſſe, vel nobis tacentibus, res ipſa, ſenſu concurrente, eloquitur. Genere hoc proximius aliud vix reperibile, nam vocabulum affectûs, eſt paulò generaliùs, cæcitatis ſtrictius, nec de omnibus ſuffuſionis ſpeciebus dici poteſt, uti inferius, ubi de differentiis agetur, patebit. Dari autem præter ſuffuſionem, & alias oculorum læſiones varias, non ignoro, ſed plures eidem generi ſubſtare ſpecies nemo non novit.

III. Placet quibusdam aliis ſuffuſionem definire per humoris aquei concretionem, ſed hæc definitio non niſi cauſam tradit, illâ ſuperiùs traditâ eſſentiali, quod pace illorum dixerim, vilior, nam forma dat eſſe rei, & hæc concretio ſpecificam potius largitur differentiam, in hâc enim ſuffuſio ab aliis differt oculorum vitiis, ut paulò poſt fuſius declarabitur. Ad vulgaris Pathologiæ regulas reſpicientibus referri poteſt inter morbos Conformationis: nobis tamen placet ſtatuere, eſſe morbum partium ſimilarium, cùm enim humor aqueus indubiè ſit particula partis, nempe oculi, partes verò organicas ex ſimilaribus componi in vulgus ſit notum, & noſter quidem humor manifeſtisſimè ſit ſimilaris, putamus aſſertionem noſtram eſſe in ſalvo. Cum autem ſimilarium partium morbi in temperaturæ vitio conſtituendi

 ſint,

ſint, idem & hic accuſandum; Et verò in propatulo eſt, cùm ex fluido fiat conſiſtens, ex pellucido opacum; quo nomine lædit actionem: temperaturam enim non in quatuor primis qualitatibus, ſed modo materiæ ponimus, cum in ſimilaribus non ſpectandum ſit temperamentum viventis, ut vulgo docetur, ſed mixti.

IV. Qui bene cognoſcit, bene curat, axioma medicum eſt veriſſimum æque ac utiliſſimum. Cognoſcenda autem ſunt cum *Subjectum*, tum *Cauſa*. De loco ipſo ſuffuſionis non ſatis convenit inter auctores: aliis inter corneam & uveam, aliis proxime ad uveam, aliis inter hanc & cryſtallinum eam ponentes: ſed in facili eſt conciliatio, videturque totum illud ſpatium quod inter corneam (cui uvea cohæret) & cryſtallinum intercedit, admittendum, qua humor aqueus patet: in quo pellicula illa concreſcere comperta eſt. Non enim adeo amplum hoc eſſe, oculi, in quo humores congelati a frigore ſunt diſſectione diſcitur. Vide *Guiliel. Briggs. Ophthalmogr.* cap. 4. Inter corneam ſane & ſuffuſionem liberum ſpatium non raro relinqui, accuratiſſimi chirurgorum, *Fabritii Aquapendentis* obſervatione conſtat, qui vidit acum immiſſam retro poſt uveam, ante tamen ſuffuſionem apparere: & Sculteti, qui Itali operatoris auream acum per corneam apparentem & verſus pelliculam adactam ſe inſpectore, teſtatur. Hinc naſcitur elegans Aquapendentis dubitatio, quo pacto tum uveæ foramen dilatari poſſit, cum a proceſſibus ciliaribus, cryſtallino adhærentibus pupillæ ampliatio credatur fieri; intra quem tamen pellicula interjacet. Et ſane vel hoc falſum eſſe oportet, ipſamque uveam contrahi, vel obſervationem illam vacillare: quod non arbitror expertiſſimis in arte viris & oculatiſſimis eſſe imputandum; maxime, cum ex Paulo conſtet, aliiſque quammultis, ſi dilatetur pupilla, ſuffuſionem eſſe curabilem, nec confirmatam; ſi non dilatetur,

cura-

curabilem non eſſe. Quod ſic interpretor: in primo pelliculam duntaxat, in noviſſime memorato caſu, totum humorem aqueum concreviſſe, alias enim, uveæ contractio & dilatatio pupillæ qui poſſit impediri, non conſtat; ſi enim illi toti adnaſci pelliculam aſſeras, falſum alterum experimentum erit, cum eo poſito catarrhacta non ſit incurabilis; Nonnulli ſtatuunt, in cryſtallino, & poſt cryſtallinum in humore vitreo, materiam ſuffuſionis conſiſtere quoque poſſe: Verùm licet ab impuritate dictorum humorum viſûs ſit læſio poſſibilis, non tamen illa ſuffuſio dici debet, ſed Glaucoma.

V. Melioris doctrinæ ergò ſtatuere liceat: aliud eſſe *Subjectum* ſuffuſionis *primarium*, aliud adæquatum & *ſecundarium*. Primarium eſt humor aqueus, nam in ipſo propriè & verè fit ſuffuſio, acûs ope aliquando curabilis, quâ de hîc potiſſimum ſermo, quando nimirum ita craſſeſcit, aut in pelliculam concreſcit, ut ſua denſitate radiis receptionem deneget. Adæquatum poteſt dici totus oculus, vel, ſi mavis, omnes tres humores in oculi cavitate contenti. Præterea aliud eſſe Subjectum morbi, cauſæ aliud: illud ad nauſeam inculcatum, hoc, vel totus oculus, vel cerebrum, vel tota humorum maſſa præter naturæ ordinem conſtituta.

VI. Nunc, ordinis ratione, cauſarum inveſtigationi accingor. *Cauſam immediatam*, in definitione tactam, concrementum eſſe humoris aquei, inde prorſus patere exiſtimaverim, quia nimirum humor dictus à ſtatu ſuo naturali ſummæ fluiditatis perſpicuitatisque remittit & alienam, nebuloſam, opacam, denſamque pelliceam naturam induit, unde neceſſariò pupillæ obex ponitur, objectorum radii ab illa non recipi, nec conſequenter viſio fieri debito modo poſſit. Pelliculæ hujus naturam Clariſſim9 Hornius in Microtechne, appoſitiſſima ſimilitudine declarat, talem eſſe inquiens qualis ferè vino aut cereviſiæ

viſiæ innaſcitur: quod de curabili catarhacta verum eſt, nec quicquam dici poterat aptius.

VII. Concrementum hoc me deducit ad ſui ratione originis, inquiſitionem, ſeu cauſas mediatas & occaſionales. Præſupponam vero: *Omnem concretionem fieri aut caloris, aut frigoris vehementiâ, in receſſu ſiccitatem aliqualem intendentis*; quò præmiſſo reliqua melius capi poterunt.

VIII. Dubitatur à recentiſſimis ſcriptoribus, utrum ſimplex incraſſatio fiat humoris, an vero materiæ craſſioris novæ affuſio: Quod facile videtur expediendum. Si enim colorem ſervet, nec niſi opacus fiat humor, concretio eſt, ſola forte exhalatione fiens, ſi vero is mutetur, accedere novam & peregrinam materiam, videtur ſtatuendum. Hinc plethora & calor nimius accuſandus. Videmus enim poſt febres nonnunquam eam ſuccedere. Nec raro inſtantem Venæ S. præcaveri & intercipi. Nec Cacochymia prætereunda, quæ, uti ferè ad omnes alios morbos, ita etiam ad hunc producendum, diſpoſitionem in ſinu fovet. Accuſanda verò ſeri craſſities & ad coagulationem proclivitas, quæ forte in eo ponenda, quod lentor ille & glutinoſitas, qua poſt exhalationem in gelatinam concreſcit, in ſero ſanguinis & lympha aucta ſit. Notum enim jam eſt, ex ductu ſingulari, quem celeberrimi Nukii induſtriæ & dexteritati ſeculum debet, aqueo humori incrementum, ubi opus, accedere, quem lymphæ genus vehere non poteſt dubitari.

XI. Quoad *Temperamenta*: Sanguinei, quamdiu in æquilibrio manent, videntur præ aliis, ab hac labe magis immunes; ad alium verò ſtatum dilapſi, aliorum fata habent communia. phlegmatici, quò magis ad ſtatum pituitoſitatis inclinant, eo faciliùs ad hoc malum diſponuntur. Nec minus Cholerici ſuos hîc patiuntur manes. Meminit *Epiphanus Ferdinandus hiſtor. 25.* Mulieris ſiniſtri ſuffuſionem oculi paſſæ, calido temperamento

dona-

donatæ, qualem temperiem his deſcribit verbis: Calida erat hæc nobilis juvenis, præſertim ſecundum hepar, & ſi cum hâc caliditate ſiccitatem copulaveris, non aberrabis, nam ſiccum & macilentum habet corporis habitum, pilos ſubnigros, venas patentes, abundat bilioſo excremto per os &c. Melancholici quaſi naturâ ad gravitatem & fixitatem humorum ſunt proclives, humores verò quò fixiores, eò coagulo & conſequenti concremento magis obnoxii.

X. *Sexum* ſi ſpectemus, utrique hoc vitium commune; non incongruè verò ſtatuiſſe videbor, ſi ſequiori magis metuendum, potiori minus, dixero, nam viri ſunt utplurimum naturâ calidiores, agiliores, Fœminæ autem humidiores, ſegniores, vitæque delicatiori, imò interdum torpidiori deditæ; ruſticæ tamen laboribusq; dicatæ rariùs hunc morbum experiuntur.

XI. *Ætas* nulla hic patitur exceptionem, leguntur enim infantes nati ſuffuſi, quale exemplum habet *Horſt. Obſ. part. 2. f. 633.* Perfectæ cataractæ, in puero novimeſtri, exemplum habet Petrus Borellus *Cent. III. Obſ. 61.* Hiſce ipſe oculis cariſſima in Patria vidi puellam, circiter ſedecim annorum, altero oculo ſuffuſam. Uti etiam honeſtæ Matronæ quinquaginta aliquot annos ibidem fortè agentis, amborum ſuffuſionem oculorum artificioſè æque ac feliciter depoſitam, ob tusſim tamen & accidentia alia, infeliciter recidivantem; Senium qvippe eſt ſuffuſionis quaſi ordinarium & frequentiſſimum hoſpitium, ſiquidem in illo humores vitales ſenſim ſenſimque de ſtatu ſuo fluido & volatili remittentes, econtra ad fixitatem ſucceſsivè acoremque vergentes incraſſantur, & quaſi ex lege naturæ melancholiæ veſtem induunt. Vide conſentientem *Mercurial. Conſ. 78.*

XII. *Habitus corporis, diſpoſitio partium naturalis*, & humorum conſtitutio, ſuum hic quoque confe-

runt ſymbolum. Quosdam ob temperaturam ſummè delicatam & quaſi papyraceam; alios ob ſtatum contrarium, ſqualidum, rigoſum, quo melancholici notantur, (nam utrumque extremum naturæ inimicum) hoc malum incurrere poſſe, nemo forſan negaverit. Oculos majores eſſe & dici debiliores, vulgo notum eſt, nec ſine ratione: vis enim unita eſt fortior diſpersâ, & major aquei copia pluribus obnoxia injuriis, quam concentratior in minori loco materia. Vide iterum *Mercur. Conſ.* 56. Totum caput, & imprimis cerebrum humidius hic quoque vulgo accuſantur, quod locum habere poteſt, modo rectè explicetur: ventriculus frigidus, hepar calidum, hic non reticenda.

XIII. *Ex Cauſis non naturalibus Aër*, temporibus anni comitatus, quocunque extremo peccaverit, plurimum lædere poteſt; ſi frigiditate excedat, corpori toti, nervis, & imprimis delicatiſſimis oculis inimicus; ſi caliditate, humores nimis reſolvendo, lympham abſumendo, corpusque fatigando ac enervando, ut totum, ita & nobiliſſimam hanc partem ad plurima ſuſcipienda mala diſponit. Humidus & Auſtrinus præcipuè morborum ferax & catarrhorum, elogio *Hipp. 3. aph. 5.* Auſtri auditum hebetant, illique graves ſunt, caliginoſi & tenebroſi, nec non & capitis gravitatem, ſegnitiem ſeu lentitudinem, & corpori laxitatem afferunt &c. Ex una Regione, Urbe, domo, in alias commigrationes plurimum interdum noxæ afferre queunt, & quis eſt qui non calleat ſemper nova ædificia, vel calce ſaltem recenter obducta, eſſe periculoſa, & vel mortem quandoque, vel graves infirmitates producere, quod fieri coagulando & incraſſando humores, ſaltem aliquando, non eſt dubium, adeoq; & oculis nocere poſſe. Huc etiam referenda effluvia & vapores craſſi, turbulenti, locorum paluſtrium, metallifodinarum, cellarum & locorum ſubterraneorum.

XIV. Ci-

XIV. *Cibus* poteſt peccare, & quantitate, & qualitate, & utendi modo. A nimia voracitate cruditates oriri palam eſt; Piſces ſalſi ac indurati, carnes infumatæ, bubulæ, ſuillæ, anſerinæ, & id genus alia concocta difficilia, eodem ſe habent modo. Imo & hi cibi & plures alii, etiamſi per ſe ſint optimi, ſi, prioribus nondum digeſtis, ſæpiùs ingerantur, damnoſi evadere poſſunt. In *Potu* tot, quot cibo, modis delinqui poteſt. Muſtum, vinum nimis recens & nondum defecatum, cerevíſia recens cocta, nondum fermentata, turbida, feculenta, acida, valde tenuis & aquoſa, imò pura puta aqua epota, minus conducunt, quo etiam collimat *Dominicus Panarolus pentecoſt. II. Obſ. 6.* inquiens: ſuffuſionem ſæpè etiam vidimus duabus hiſce cauſis, aliquando conjunctis, aliquando verò ſeparatis, à frequenti ſcilicet aquæ potu, aut coitu immoderato. Vide etiam *Foreſtum* XI, *obſ.* 30. ubi cujusdam ex ſolo victu pravo recidivam paſſæ mulieris hiſtoriam narrat. Aſt & optimum vinum, & exoptatiſſima cereviſia per abuſum & nimiam ingurgitationem poſſunt fieri damnoſiſſima, ex vitro in ſanitatem propinato hauſtus morbi, imò mortis, nam morbi ſunt mortis Legati & prodromi, ac guloſi utplurimum morboſi, ſi non in juventute, tamen in ſenio. Jam dicent: Non ſperabo, tunc: Non putaveram, ſed ut ſementem facimus, ita & metimus. Quidam Valetudinarii interdum conqueruntur de morbi hujus vel illius, diuturnitate, & medicamentorum inefficacia, ſed pravæ diætæ obliviſcuntur; Hos æque ac alios meos Amicos & Familiares honoratisſimos, Verſu Horatiano, ex ſincero animi affectu, in aurem quaſi commonefactos volo:

Incipe vivendi qui recte prorogat horam,
Dimidium facti, qui bene cepit habet. Item.
Abſtine, & efficies, quod Medicina nequit.

XV. *Motus* deficiens obſtructiones viſceribus, humoribus vitium inferre, notius eſt quam ut moneri debeat, unde & huic morbo in proſcenium producendo non ineptus.

XVI. Ex *ſomno* nimio ſocordia & mala corporis diſpoſitio, cui præcavendæ illud excogitatum videtur.

Septem horas dormiiſſe ſat eſt juvenique ſenique.

De meridiano ſomno canit Schola Salernitana:

Sit brevis, aut nullus tibi ſomnus meridianus,
Febris, pigrities, capitis dolor, atq; catarrhus,
Hæc tibi proveniunt ex ſomno meridiano.

Quæ utraque tamen non abſolutè vera, ſed pro varia individuorum, & aliarum circumſtantiarum conditione variant. *Vigiliarum* exceſſus & lucubrationes oculos cum primis debilitant, indeque ſuffuſioni occaſionem præbent.

XVII. Quantum *animi pathemata* modum excedentia ad noſtri affectûs productionem valeant, teſtantur miſeranda paſſim obvia exempla, illa cumprimis, quæ lacrymas exprimunt: *Fabricius Hildanus Centur. 4. obſ. 15.* Matronæ meminit Baſilienſis, obitum alius Matronæ, ſibi conſanguineæ, acerbè valde ferentis, per dies aliquot continuò lacrymas effundentis, tandemque ſubitò, una nocte, dextri oculi ſuffuſionem fuſci coloris inde reportantis. Hiſtoriam cataractæ puero vi imaginationis in utero communicatæ, recenſet *Horſtius l. ſ. c.* ut alia plura ſicco tranſeam pede.

XVIII. *Excreta* & *retenta*, hæmorrhoides præcipuè & menſes, anſam huic malo præbere poſſe nullus dubito. Suffuſionem ex nimia Venere ſuboriri ex Dominico Panarolo jam ſupra docuimus.

XIX. Ex *præternaturalibus* primùm ſe ſiſtit ophthalmia qua laborantem Nobilem Fautorem ac Amicum, inter plures non infimum, præterlapſa æſtate, juſſu Magnifici Wedelii, Patroni ac Præceptoris mei ad cineres uſque venerandi, ſæpius viſitavi: apparebat media pupillæ regione ſuffuſio imperfecta, inſtar grani ſinapis minoris, coloris ex cineritio albicantis, quæ tamen, per Dei gratiam,

am, optimis remediis in- & externis, legitimè adhibitis poſtea dicendis, feliciter fuit ſublata. Suffuſionis, ab ectropio ſive inverſione aut increſcentia palpebrarum, & oculorum lacrymatione ortæ mentionem facit *Joh. Stephan. Decad. 2. Conſ. 5.* Febres ardentes & deliria, ut & animi deliquia, non rarò concomitantur ſuffuſiones ſpuriæ, ſequi quandoque poſſunt veræ. Complicantur interdum aliis morbis, e.g. cum aurium tinnitu. Vid. *Chriſtoph. Guarinonius Conſ. 271. f. 400.* cum capitis dolore, *Idem conſ. 460. fol. 521.* cum ſurditate, *Victor Trincavellius conſ. 67. f. 89.* De ſuffuſione ſpuria cum febre ſemitertiana in Illuſtriſſima perſona *Vid. B. Timæus* von Güldencklen *Caſ. Med. 27. Lib. I.*

XX. Taceo *injurias externas*, caſus, contuſiones, ictus, conflictus &c quæ tamen ſæpenumero potius confuſionem humorum, quam ſuffuſionem inducunt. Quale quid nuperrimè adhuc, ut intellexi ex communicatione *D. Præſidis Excell.* in puella cujusdam ruriculæ hîc accidit, cui pueriliter ludenti flexilis virga in oculum involans, ſubito ita eum vitiavit, ut altero die viſu privata fuerit deprehenſa. Ab arboris frondibus, Lanioni Oſnabrugenſi, ſylvas negotii cauſâ, perequitanti, ante annos non ita multos, ſimile contigiſſe memini.

XXI. *Differentiæ* multæ ſunt & variæ. *Primò* occurrit explicanda illa, qua alia ſuffuſio vulgo *notha* ſeu *ſpuria*, alia *vera* dicitur, qua tamen communi vocabulo abutimur, cum notha, ut ferè de nothis affectibus accidere communiter ſolet, non ſit vera ſuffuſio, ſed malum quoddam tranſiens, quo vel obſcuratur vel turbatur viſio, particulis craſſioribus & opacis (vapores vulgo vocant) per aqueum humorem tranſeuntib9, quæ cito à calore, oculo cum partibus reliquis cõmuni diſſipantur. Unde hæc affectio morbi nomen non meretur, de cujus eſt eſſentia, eſſe ſtabilem & fixum, ut in inſtitutionibus docetur.

Ideam ſuffuſionis ſpuriæ, ſerena æſtate, poſt acclivium aſcenſum locorum requieſcendo concipere licet, ubi varia in aëre corpuſcula ignita, ſplendentia, lutea, cœrulea, viridia &c. oculis obverſari videntur; Germanus effert: Es wird mir grün und gelb vor den Augen. Eſt autem hæc prodromus veræ ſuffuſionis, & indicium eam inſtare; Auctis enim in humoribus corporis craſſioribus hiſce particulis, & in aqueum confluentibus, illa non poteſt non ſubſequi, ideoque cito tum obviam illi idoneis remediis eſt eundem. Proximus gradus eſt, quo radiis illabentibus non obſcurè jam incipit via intercludi, ſenſusque minui, ut quaſi per nebulam res inſpicientes, obſcurius cernamus: Et hæc jam ſuffuſio dici poteſt, ſed imperfecta; tenuior enim, ſubtilior, fluidiorve adhuc eſt, quam ut planè iſtis portam hanc ad animi palatium ducentem præcludat. Tum ſcilicet eſt principium ſuffuſionis, & pro obſcuritate majori, progreſſus. Ultimus denique, ubi concreta materia fit crasſior, denſior, tenacior, ut ſpeciem membranulæ non abſimilem præ ſe ferat. Hæc eſt præcipua, & in medela præ ceteris attendenda differentia. Cui *altera* ſuccedit, *à colore* petita, aliquando enim cataracta eſt & dicitur alba, aliquando cinerea, flava, viridis, cærulea, lutea, fuſca, plumbea, nigra, interdum exhibet colorem margaritarum, argenti vivi, gypſi, aquæ marinæ &c. *Tertia* Diverſitas peti poteſt *à ſitu materiæ*, cum enim ſedem habeat inter tunicam Corneam & humorem cryſtallinum, interdum huic, interdum illi vicinior eſt, neque abſonum à ratione, totum hnmorem aqueum incraſſari, conſendarive poſſe, licet factum eſſe, nondum fuerit annotatum, cum extremè laborantes negligi ſoleant, & mortuorum oculi nunquam manu anatomica examinentur. *Quarta à magnitudine & varia poſitione materiæ capi poteſt*; nam in alia tota pupilla craſſo humore vel pelliculâ prævelatur, & tunc viſio pla-

ne aufertur, in alia pupillæ pars manet libera, & tunc patientes aliquid, ſed non directè, cernere poſſunt. Interdum in centro pupillæ exigua fit ſuffuſio, ambitus vero remanet purus, qualis erat in Nob. Studioſo *num. 19.* citato, & tunc omnia quaſi feneſtrata & perforata apparent; quod alio adhuc exemplo illuſtrat *Petr. Borell. l. c.* hæc in verba erumpens: Cataractam inſolitam vidi &c. erat enim vir, qui omnia, quæ aſpiciebat, perforata percipiebat, quod à certa cataractæ diſpoſitione proveniebat. Si divulſa craſſaque quædam corpuſcula pupillæ objiciantur, culicum, aranearum, harumve telarum, nubecularum, & ſimilium minutiſſimarum ſpecies rerum præ oculis circumverti videntur.

XXII. His notatis, *Diagnoſis* tradenda; Proxima enim eſt hæc ad curandum via, probè ab aliis & invicem affectum internoſcere. Non autem ſtatim ſuffuſio quælibet à quolibet primo obtutu percipi poteſt, ſed & aliàs intelligenti, & ægri oculos per intervalla intuenti demum pateſcit. Hinc crebra exercitatione & inſpectione oculorum cæcitate laborantium opus eſt, quò à viciniis malis certiùs diſcerni queat. Non enim albugo ſalum corneæ vitium, ſed & confuſio humorum poſſunt imponere. Dignoſcitur ab albugine, quod in hac uvea contegatur, adeoque iris prorſus nulla appareat, cujus veſtigia in cataracta cernuntur; Dein, quod pelluceat hæc, altera ſtatim in ſuperficie oculi occurrat. Reliqua vix, niſi à peritis diſtingui queunt, itaque experientia hic ſectanda eſt: De quovis genere Glaucomatis, conſule omnino celeberrimi Viri *Joh. D. Majoris ſcrutinium Satanicæ appodixeos cap. V.* Suffuſionis *veræ à ſpuria* diſtinctio facilis, & ex ſuperioribus patet: Vera alterum tantum oculum utplurimum occupat, aut, ſi utrumque, non tamen eodem tempore & modo. Veræ ſuffuſionis ſymptomata ſunt continua, ſpuriæ, aut per intervalla

affli-

affligunt, aut adhibitis medicamentis indicationi debitis, & ſalubriore diætâ, planè ſilent. Vera ſuffuſione, & quidem incipiente laborantes, manè melius, meridie & veſperi utplurimum difficilius cernere queunt, quia vires noctu collectæ, de die diſſipantur. Spuria verò quavis diei horâ contingere poteſt. Maximi porro ad curationem momenti eſt fientis & imperfectæ, à facta & abſoluta ſuffuſione diſtinctio. Sed primum fientis gradum ſupra ſpuriam fecimus, à quâ ad veram facilis eſt tranſitus. Si ergo jam coagulari ſenſim humor incipiat, non amplius caliginoſa quædam corpuſcula, inſtar culicum, pilorum, lanarum, aranearum, & ſimilia obverſari videntur, ſed jam conſtantius quid & firmius hærens impedit viſum. Interdum objecta Patientibus geminata, cribrata, aut variè colorata videntur, pupillæque color haud diſſimilis vitro halitu contaminato, aërive nebulis repleto, inſpicientibus apparet Adoleſcenti apud Foreſtum, dum legeret, pupilla conturbari cepit, & talis obnixe intuenti apparuit, qualem deſcripſimus. Suffuſio perfectionem indepta, pupillæ colorem, non lucentem, ſed abicantem aut alias p. n. coloris differentias exhibet; legi hic meretur obſervatio *Foreſti XI. 31.* ubi exemplis omne genus ſuffuſionis dilucidat. *Ex colore* etiam ipſo de materiæ ſubjectæ natura, forſan non inconveniens fuerit philoſophari, dicendo: colorem aëreum, materiam ſub pupilla fluidam, gypſeum, craſſam, non fluidam, citrinum, pituitoſam cum bile remixtam, nigrum craſſius quid adhuc, & humori melancholico ſimillimum arguere. Si uveæ accreſcat, ſtriæ albicantes, vel alius coloris, ſupra iridem protenſæ conſpiciuntur. *Sennertus* ait, aliquando etiam corneæ per uveam adhærentem materiam puncta quædam ſubalbida, aut ſi à latere oculum intueamur, filamenta ex uvea ad corneam protenſa, conſpicienda exhibere; quod num ita ſit, inquirendum.

XXXIII. *Prognoſis ſuffuſionis* alia eſt *ſpuria*, alia *vera*: Illa, corpore toto ab inquinamentis, medicamentis debitis repurgato, aut morbo, quem comitatur, curato, facilè cedit. Vera, pro ratione augmenti quod ſumſit, vel difficulter, vel plane non poteſt removeri. Hinc (1) *alia medicamentis in- & externis legitimè adhibitis* pro viribus diſſipanda, *alia acu pungenda*, *alia* denique, ceu *incurabilis*, *intacta relinquenda*. (2) Quæcunque ſuffuſio vera, cujus pupilla nec fricatione, nec inſufflatione, nec alterius oculi clauſione dilatari & iterum conſtringi obſervatur, pro incurabili habenda, & vice verſâ, quia omnimoda humoris aquei coagulatio facta videtur; tametſi igitur acu tentetur, viſio non ſuccederet. (3) Quotiescunque æger oculo ſuffuſo ſoli obverſô, ne lucis quidem crepuſculum percipit, nullum operatione hac manuali, etiamſi pupilla dilatetur, auxilium eſt exſpectandum; indicio enim eſt, ferè idem accidiſſe, parumque reſtare illibati liquoris, ſed eſſe maximam ejus partem vitiatam. (4) Quando ſuffuſio tunicæ uveæ ita adhæret, ut abſque ipſius dilaceratione depoſitio, inſtitui nequeat, ab illâ potius abſtinendum. Quod cognoſcitur, quando luminis quidem aliquid percipit æger, ſed tamen pupilla non movetur. (5) Suffuſio, ſi fuerit coloris nigri, viridis, lutei, plumbi nigricantis, gypſei, obſcura, omnis ſplendoris nitoriſque expers, argenti vivi colore & mobilitate æmula, quoad ſubſtantiam dura & tenax, curationem non admittit. (6) Immaturæ ſuffuſionis, ex digiti compreſſione nonnihil diffluentis, ſtatim verò priſtinam ad magnitudinem confluentis, acum Operatoris, inſtar pultis, transmiſſuræ, nulla eſt acu tentanda curatio, ſed juſta maturitas expectanda, quæ ex *Pauli Barbette* ſententia *Chirurg. cap. 16* ad tertium usque annum protrahitur, ſecundum alios ſex, octo menſibus, anno, biennio, abſolvitur, imò *Fernelius Lib. V.*

Pathol. cap. 5. & *Fabr. Hildan. Cent. 5. Obſ. 14.* habent exemplum quisque ſuffuſionis, unius ſpatio diei exortæ, ex quibus pateſcit, tempus, quod requiritur ad perfectionem ac maturitatem, pro circumſtantiarum ratione variare. (7) Suffuſio parvula centro pupillæ inſidens, acu movenda facilè non eſt, quia timendum, ne materiâ diffusâ tota pupilla impleatur, homoque viſum planè amittat. (8) Ætas ſenilis & puerilis plerumque hanc curationem quoque excludunt, illa, quia quaſi naturâ viſum habet hebetiorem; hæc, quia humor rarò ſatis eſt maturus, & in debito diætæ regimine vix contineri poteſt. Ætas media huic curationi aptiſſima. Ut ergo ſciatur, quænam ſuffuſio acu poſſit deponi, ex dictis partim inferre liceat: (9) Si ſuffuſio ſit pura ac pellucida, aliquid lucis ſolaris transmittens, ſi habeat colorem cortici caſtaneæ non abſimilem, cœruleum, aquæ marinæ cum quadam albedine, margaritarum, è viridi & cinereo mixtum, pupillam ex ſupra dictis cauſis dilatantem ſeſe & conſtringentem, ſi ſit perfecta ac matura, nec tamen nimis antiqua, ſi æqualis, nec nimis craſſa ac dura, ſi denique ætas & vitæ genus conſenſerint, &c. ſpes recuperandi viſus, ex operatione hac artificioſiſſimâ, affulget.

XXVI. Viſis hactenus ad ſuffuſionis cognitionem neceſſariis, ejusdem *curationi* accingor. Cum autem ſpuriam facilè nonnunquam idoneis cedere remediis, veram autem potiſſimum duplicem eſſe, perfectam & imperfectam, ſupra ex dictis pateat, nec eandem curationem utramque ſuſcipere: jam dicendum venit, quam quælibet ſuſcipiat aut recuſet, quo de methodo medendi certius conſtet. Relicta igitur ſpuria, de verâ jam tum ad ſtabilem gradum ſtrenue pergente primum dicamus. Hæc igitur, cum impuritatem lymphæ & ad incraſſationem diſpoſitionem, cauſam agnoſcat, hîc optimè

timè conducent purgantia, quæ non modo impuritates illas tollunt & è corpore eliminant, verum etiam incidendi ſua vi humores attenuant, & fluxilitatem (ſi ita loqui fas eſt) ipſis reſtituunt; ſit ergo.

Indicatio prima:

Utriusque ſuffuſionis materia peccans pupillamque obſtruens removenda.

REmovent eandem I. EVACUANTIA, & quidem 1. PURGANTIA, ut. *Rad. gialap. mechoac, alb. rhabarb. Alex. fibr. helleb. nigr. fol. ſenn. flor. acac. perſic. reſin. gialap. ſcammon. mag. g. gutt. pulv. laxat. veget. Rolf. extr. helleb. nigr. elater. Cathol. Andern.* ☿ *dulc.* ℞. ♀ *ear. ſir. de cicor. c. rhab.* &c. his præmitti conſueta DIGESTIVA, ATTENUANTIA; *mixt. ſimpl.* ♀ ⊕ *lat. tinct.* ♀, *crem. & cryſt.* ♀ *i, arc. dupl. Mynſ. pil. ſine quibus.* Ex quib9 variæ remediorum formæ poſſunt emergere, v. g. pilulæ, pulveres, decocta, infuſa, boli, quæ uniuscujusque prudentiæ relinquuntur, tetigiſſe enim ſufficiat.

2. VOMITORIA, vix conveniunt, quia compertum eſt, illa parti jam afflictæ afflictionem addere, & inhærentes lymphæ craſſiores partes, ingenti totius corporis concuſſione, facile ad oculos propellere, utpote quos in omni vomitu plurimum pati ad ſenſum liquet.

3. SUDORIFERA, coagulationi humorum, eandem reſolvendo ac disjiciendo, optimè conveniunt, modò cætera ſint paria, nominatim *Rad. ſcorz. contrajerv. ſarſ. par. chin. lign. ſanct. ſaſſ. fr. eorumq; cort. ſem. aquileg. card. ben. lap. bez. C. C. uſt. phil. unic. foſſ. Cinab. nat. pulv. bez.* ♁ *diaph. miſt. ſimpl, tinct. bez.* ♎ *C. C. ebor.* ⊖ *abſinth. card. ben. rob. ebul. ſamb. & ſimilia.*

XXV. §. Removent eandem, præprimis in ſuffuſione vera fiente.

II. *Reſolventia ac diſſipantia* EXTERNA, quorum agmen ducant

1. COL-

1. Collyria, quæ ex aquis ophthalmicis *euphraſ. verben. roſar. chelid. maj. plantag. flor. cyani cœrul. fabar. fumar. burſ. paſt. acac.* poſſunt componi quib9 modicum aquæ vitæ primæ deſtillationis addi, ſi majori acrimonia opus, poterit. Vid. *Aquap. l.c.* aut ſuccis depuratis *rut. verben. fœnic. majoran. cum alb. ov. alum. croc. metall. ſacch. canarienſ. felle lucii piſc. Vid. Scultet. part. 1.* Tab. 31. *perl. præp. aloë ſocater.* ♃ *diaph. camph.* &c. Quæ variè, pro indicationis varietate, inter ſe mixta, egregiam repellendi, demulcendi, diſcutiendi vim obtinent. Et quò collyria eò melius in oculis detineri queant, cùm oculus alias ſit pars ſummè mobilis *Hieron. Fabric. ab Aquapendente Chirurgic. operat. Tit. de ſuffuſ. p. m. 22.* excogitavit Cucurbitam ocularem huic fini aptisſimam, qui ipſe conſuli poteſt. Ex felle fortiſſimâ fieri collyria notat *Foreſt. l. c.*

2. *Linimenta* ex *pingu. viper. ſerpent. aſc. piſc. ol. hepatis muſtelæ piſcis per deliq. factô, butyro inſulſo,* & ſimilibus erunt proficua. Fel perdicis, galli, &c. cum melle & ſucco fœnic. miſtum, oculisq; illitum ad hæc commendat idem *Foreſt. l. c.*

3. Poſſunt etiam hunc in finem *fotûs* inſtitui cum *decocto heder. terreſtr. euphrag. beton. major. leviſt. rad. valerian. ſem. fœnic.* &c. ſi paulò major acrimonia expetatur, momentum camphoræ vel ſalis ammoniaci addere licebit.

4. Nec *Maſticatoria*, aliqualem opem ferentia, hîc reticenda, v. g. *cubebæ, myrrh. maſtich. rad. ir. pyrethr. zedoar. angel. carlin. acori veri, cardamom. ſalv. roſmar. &c.* hæc enim lympham incidunt, attenuant, halitus ac vapores diſſipant, caput ejusque partes roborant, modicè uſurpata, nam per abuſum etiam nocere poſſunt.

5. *Capitiluvia*, ſi ritè adhibeantur, uſu non carebunt. Novi alicubi Virum Primarium, qui, urgente neceſſitate, capitiluvio ac pediluvio *ex aq. ſimpl. & ſale, vel cinerib. clavell.* pro viſu conſervando ac corroborando maxima cum εὐφορίᾳ utitur. Poſſunt his ipſis pro indica-

dicationis exigentiâ addi *Herb.beton. roriſmar.euphroſ.ma-jor.rut.ſalv.hyſſop.origan.ſerpill.Flor.anthos,lavend.ſalv.lil.con-vall.beton.pœon.prim.ver.tiliæ,major.cham.Rom.roſ.rubr.&* *alb. Sem. fœnic.* & alia à Scriptoribus Practicis hinc illinc notata.

6. Senibus,humidioribus & frigidis *cucuphæ* ſuum non denegant auxilium, conſtantes ex *rad. ir. flor. cyper. ro-tund.pœon.herb.ſalv.roriſm.major.meliſſ.beton.fol.laur.flor.roſ. viol.pœon.lil.convall.prim.ver.lavend.ſem.aniſ.fœnic.nigell.cort. citr. cinam. lign. ſaſſafr. aloës, rhod. ſandal. citrin. n. m. maci, cardamom caryoph. ſuccin.maſtich.gum. junip.oliban.aſ.dulc.* In aſſuetis poſſunt addi *ambra & moſchus*, item *olea deſtill.fœ-nic.rut.ſalv.major.lavend.ſuccin.ſpir.roſ.lil.convall.*&c. Dicta hæc & ſimilia, accedente cumprimis diligenti pectinatione, poros aperiendo, vaporibus exhalationibusque exitum conciliant, lymphæ coagulum reſolvunt, ac, ne-fiat, impediunt, cerebrum totumque caput mirificè, prudenter adhibita, corroborant. Topicorum agmen claudat novum hujus ſeculi inventum, *à Magnif. Dn. D. Præſide* mihi communicatum, quando ſcil.fumi ex ⌒bus volat. ⊡ſis, vel per ſe, vel cum acidis efferveſcentibus, aſcendentes, oculis excipiuntur. Quod ſanè curioſum & magni æſtimandum.

Secunda:

§. XXVI. Humorum vitioſorum affluxus revellendus, divertendus ac eliminandus eſt.

REvellunt, divertunt & eliminant eundem remedia quædam, non infimi ſubſellii, Chirurgica, quorum eſto. 1. *Venæ ſectio* in loco à parte affectâ remotiori inſtituta, v. g. brachio, manu vel pede. (2) *Cucurbitulæ*, eæꝙ vel *cæcæ* ſeu *ventoſæ*, à ſcapulis ad lumborum usque regionem protractæ, vel in dorſo, brachiis, pedibusq; *ſcarificatæ*. Summo *cucurbitam occipiti* adhibitam, oculis laborantibus adjumento eſſe, ex Hipp. tanquam ex oraculo ſup-

ponit *Hieron. Mercurialis Conſult. Med. Tom. I. Conſ. 87.* 3. *Veſicatoria*, nuchæ, aut lateribus colli pone aures applicanda, & aliquandiu, pro meliori derivatione aperta tutanda. Poſſunt confici ex *radice allii, ſem. ſinap. g. euphorb. acet. fermento, canthar. &c.* ac in formam unguenti, cataplaſmatis, vel, quod melius, emplaſtri redigi. 4. *Setaceum* ſi opus, cervicis cutim trajiciendum, per aliquot hebdomades relinquendum, aſt quotidie ab ichore & ſordibus mundificandum. 5. *Fonticulus*, ſi malum ſit rebelle ac ac chronicum, alterutri brachio, muſculorum interſtitio, igne actuali vel potentiali, inurendus, poſtea ritè tractandus, quotidie repurgandus, ac per annum unum aut alterum apertus ſervandus, quo remediô multos aut convaluiſſe omninò, aut plerumque viſum ſaltem conſervaſſe certum eſt. Fonticulus an in ſuturâ coronali excitandus diſputat *Mercur. l. c.* aſt cùm hic non diſputationibus, ſed remediis opus ſit, hanc controverſiam indeciſam, relinquens, ad ſetaceum in parte capitis poſteriori confugit.

Tertia:

§. XXVII. Humores in corpore ſuperſtites alterandi, corrigendi, oculi, caput ac ventriculus confortanda.

ALterant, corrigunt ac confortant *Infuſa, Decocta, Spiritus, Elixiria, Eſſentiæ, Tincturæ, Pilulæ, Pulveres ſubtiliores* & *Trageæ*, ex ſupra jam laudatis cephalicis ac ophthalmicis parata, quibus facilè ſtomachica, ſplenetica, hepatica, uterina, antiſcorbutica, pro uniuscujusq; lubitu & neceſſitatis exigentia, addi poſſunt. Quin etiam tales compoſitiones jam extant, ut *Spirit. euphraſ. Mindereri. Aqua ſocialis dicta, ſ. Roſa Anglica*, cujus deſcriptionem tradit *Scultetus*

Part. I.

Part. I. Arm. Chirurg. Tab. 21. Aqua Ophthalmica D. Verzaſcha Phyſici Baſilienſis quam deſcribit *Nathanael Sforzia p. m. 99.* & aliæ in *Friderici Hoffmanni Theſauro Pharmaceutico* videndæ, interno æque ac externo uſu commendabiles. Roborat etiam externè *vapor ſeminis fœniculi* maſticati inſufflatus. *Fumus tabaci* in humidioribus & aſſuetis, virtute diſcutiendi admitti poteſt, in ſiccioribus non item. De his & ſimilibus remediis tale Galeni effatum habet Mercurial. l. c. *Promiſſiones medicamentorum in ſuffuſionibus curandis magnæ quidem ſunt, verùm effectus aliquando nullus, aliquando valde exiguus.* Quod tamen de verâ, perfectâ ac conſummatâ ſuffuſione intelligendum puto.

Quarta:

XXVIII. Suffuſio perfecta ac matura, per medicamenta in- & externa reſolvi ac diſcuti neſcia, acu providè, ab hujus rei gnaro, deponenda.

INtellige, quæ aliàs curabilis, ut viſûs recipiendi certa ſpes ſit; nam dantur & incurabiles quæ ex circumſtantiis ac ſignis ſupra allatis dignoſcendæ. Cumque hæc operatio, difficillimarum ac ſubtiliſſimarum Chirurgicarum non ſit infima, temerè eadem non ſuſcipienda, ſed *cautelæ* erunt quædam præmittendæ. (1.) Conſideret OPHTHALMIATER an unus, an verò uterque oculus ſuffuſione laboret; ſi illud, ab hac curâ conſultiùs abſtinendum, cum etiam unus oculus ſanus ad viſionem ſufficere poſſit, niſi aliud quid adhuc urgeat; ſi hoc, ad deponendum ſit facilior, quoniam hoc in caſu malum pejus non eſt metuendum, licet vato non reſpondeat operatio. (2.) Caput & totum corpus ante hanc operationem à ſaburrâ excrementitiâ benè purgari, ſi plethora ad

ra adſit, venam ſecari curet. (3). Si æger oculorum aut capitis dolore, tuſſi, nauſea, vomitu, vel animi perturbationibus laboret, hanc operationem non aggrediatur ſed potiùs in commodiorem occaſionem differat. (4.) Nec tempore hyemali vel æſtivo, ſed vernali, vel autumnali; nec aëre pluvioſo, tenebroſo, ventoſo vel tonitruali; ſed placido ac ſereno, locoque mediocriter luminoſo, ægro adhuc jejuno, tribus circiter ante prandium horis, eandem ſuſcipere audeat. (5.) Acum operatoriam, (liceat ita appellare) ſuffuſioni quoad colorem contrariam, ex auro, argento, vel chalybe confectam, non latam, nec nimis cuſpidatam, ſed teretem ac bene politam eligat. (6.) Cataplaſma ex aq. roſ. album, ovi, croco cum alum. (in frigidioribus tantillum camphoræ poteſt addi) conquaſſatum in promtu habeat.

XXIX. *In ipſâ operatione* OPERATOR ſedili paulò altiori inſidens, PATIENTIS in ſellâ humiliore, facie verſus lucem locati crura ſuis ipſius divaricatis cruribus excipiat, manus ſuis genibus, ori, ſilentium, imponat, ac, ſi quid ille ejus in operatione v. g. de dolore, qui tamen non timendus ſi ritè procedatur, monere velit, pollice genu comprimere jubeat; oculum ſanum goſſipio ac faſciâ obvolvat; caput à miniſtro manibus, ægri temporibus applicatis, digitis ad verticem directis, firmum ac immobile teneri curet. His omnibus bene jam conſtitutis, pollice manûs ſuæ, palpebras patientis, ſurſum & deorſum movendo, fricet, ac maſticati ſeminis fœniculi halitum inflet, ægro imperet ut oculum verſus naſum dirigat, poſtea acum, manubrio ſtriato & intorto, ad firmiorem apprehenſionem, præditam, priùs *aqua roſarũ*, vel propriâ ſalivâ madefactam; vel per pannũ aut corium ut incaleſcat, trajectam in nomine Domini, providè, neque tamen (a) timidè; oculo imponat, (Curari verò ſiniſter oculus dextrâ manu, dexter ſiniſtrâ debet) & quidem adnatæ (b) tunicæ, in latere externo, ad dimidiati ſtraminis ab iride latitudi-

tudinem, paulò altiore ſede, quam in media eam paulatim volvendo tornando ac terebrando adigat, (c) & ad pupillæ uſque foramen dirigat; acu blandè eò adactâ & aliquoties ſurſum vel deorſum ductâ, pelliculam ab ambitu pupillæ, cui interdum adhæret, circumvolvendo ſenſim ſenſimque ſeparet, ſeparatam deprimat & in infimum oculi locum verſus canthum externum deponat, ac ibidem per quadrantem horæ acu detineat, ne iterum aſcendat, oculumque claudat. Poſtea acum intruſam ſenſim(d)retrahat, ac cataplaſma in *Cautelis n.6.* laudatum utriq; oculo tam ſano quam ægro imponat, ſpleniiſque ac faſciis, lege artis, firmet. Ad præcavendam verò inflammationem, albumen ovi cum *pulv. adſtring.* Galeni conquaſſatum, fronti imponi poteſt. Atque hæc deligatio, circiter per octiduum, ter de die eam renovando, continuanda, quo tempore candela à tergo ægri locanda, ne ſplendore ſuo lædat. Quidam ſtatim aliquid videndum præbent, quod etiam in Matronâ ſupra laudata, me præſente, factum, ſed præſtat hoc omittere, quia ab illo membranula illa depreſſa, ad aſcenſum iterum invitari poſſet. Si tamen paucis poſt diebus ſurſum elevetur, deprimenda iterum eſt, ſed novo foramine Nonnulli reſilientis diſruptionem(e)ſuadent, ſed neque hoc tutum, quia divulſæ ſuffuſionis particulæ hîc illîc fluitantes viſionem rurſus obſcuram redderent, ſi aliàs integra ullo modo deponi poſſit. Sunt alii, ut Albucaſis, qui ut ſubtiliores viderentur, excogitarunt acum perforatam, per quam oculum ingreſſam, ſuctu ſuffuſio extraheretur, ſed ridiculum, ſic enim humor aqueus potiùs extraheretur: quam membranula ipſa, adde quod ſine majori dolore tantus canalis immitti nequeat. Alii per talem canaliculum, non ſuctu, ſed per ejus foramen, unco ex citharæ chordâ confectô, membranulam illam apprehendi & foras educi cupiunt; ſed & hi nugivenduli non audiendi.

(a) Qui timidas aut tremulas habent manus, iis *Hildanus cent. 4. obſ. 16.* excogitavit inſtrumentum, quod manui operanti firmitudinem præſtet: Eſt autem ſcamnum ſatis anguſtum, mediocris altitudinis, cujus alteri termino *Patiens*, alteri *Oculiſta* inſideant: in utroque latere ſunt foramina, mediô, patientem inter & operatorem locô, quibus ante operationem, per clavos ad id aptatos aliud inſtrumentum ligneum parvum affigitur alterâ parte, alteram verò partem à ſcamno proſtantem tranſit torcular, quo mediante, prout neceſſitas requirit, ſurſum elevari, ac deorſum deprimi queat. Caput torcularis eſt latum rotundum & concavum, intus lanâ ac pannô munitum, cui cubitus manûs operantis, inſiſtere poſſit. Verum & hoc compendioſiore operâ impetramus, ſi ab Hildano torcular, ſine ſcamno, latiori ſaltim baſi innixum mutuemur, (bald wie ein Peruͤcken-Stock) quod, ab utroque latere poni, & pede operatoris, baſi innitente, firmum ac immobile detineri poteſt.

(b) Diſſenſus eſt inter Autores, an acus per tunicam adnatam, an verò per corneam immitti debeat, aliis hoc, aliis illud ſtatuentibus, aſt pro ſitu materiæ peccantis hæc intruſio variari, atque lis ſic dirimi poterit.

(c) Acus dum immittitur, cavendum ne nimis altè infigatur, nec uvea, nec humorum cryſtallini & aquei tunicæ propriæ dilacerentur, nec verſus uveam in depoſitione nimis fortè prematur, nam inde conſtrictio pupillæ, confuſio humorum, cœcitas, ægri irreparabile damnum, Operantis indeclinabile dedecus preſſo ſubſequerentur pede.

(d) Suadent nonnulli, ut poſt acûs extractionem, folium auri vel argenti foraminulo imponatur, quo conjunctiva eò melius ſeſe contrahat, nec humor aqueus effluat; ſed hoc rariſſimè opus eſt, quia ſponte coaleſcit, niſi forte fortuna præter ſpem & opinionem, acum circumagendo, foramen ſit nimis dilatatum, aut vena læſa, ut ſanguis effluat.

(e) Dantur cataractæ lacteæ, inquit. *J. J. Mangeti, Opera in Barbettiana, Commentator, Chirurg. cap. 16.* quæ ſtatim ac acu tanguntur, diſcerpuntur & in partes abeunt, quod cum evenit. acus circumquaque per eas eſt adigenda, ut quod craſſius eſt, ima petat, & quod tenius, exhalet.

Quinta:

§. XXX. Vitæ regimen ſecundum leges Diæteticas inſtituendum.

Poſt

POſt felicem cataractæ depoſitionem ac diligentem oculorum obfaſciationem, æger, tenebroſo conclavi, feneſtris clauſis, molli in lecto detineatur per octiduum, corpore ſupino, capite tamen nonnihil elevato, quo poſitu & cibum & potum capiat, Cibus non ſit durus, aut nimis ſalſus vel aromatibus conditus (panis poteſt cum modico aniſi & fœniculi pinſi) ſed mollis ac facilis concoctionis, juſcula avenacea, ova ſorbilia, jura carnium &c. Vinum abſit, ut & cereviſia fortior, ſecundariam, aſt bene coctam bibat. Non tuſſiat, nec ſternutet, non multum loquatur, nec clarâ ac ſonorâ voce, ſed clam & ſubmiſsè animi ſenſa efferat. Ad alvum vel veſicam exonerandas non ſurgat, ſed vas ligneum, ſtanneum &c. pro excrementis recipiendis ano ſubmittatur, ad urinæ exceptionem, veſica veſicæ vel vitrum etiam ſervire poteſt. Mulieris ex pravâ victûs ratione recidivam paſſæ hiſtoriam *Foreſtus* habet *l. c.* Cæterùm abſit terror, timor, triſtitia. Verbo: Animi tranquillitatem, ſummam hujus vitæ felicitatem exiſtimet. Quando tempus deſtinatum ſic placidè quieverit, non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſivè, ſenſim ſenſimque lumini aſſuefiat, &, præprimis, ſi videre poſſit, DEO ac Artifici gratias agat.

§. XXXI. Quod ſi verò ſuffuſio deponenda nondum ſatis ſit matura, victu incraſſante, ex oryza & ſimilibus, eam ad maturitatem eſſe perducendam nonnulli ſuadent, diſſuadent alii, metuentes, ne & oculi adhuc ſani, vel quaſi talis, ſuffuſio ſit ſubſecutura. Leguminoſa, oleracea & vaporoſa, allium cœpæ, ventriculum gravantia caputque replentia, ad minimum vitari poſſunt.

§. XXXII. Diætam ſuffuſionis ſpuriæ ex dictis & mox dicendis, aut propriis morbo iſti legibus, ſi comitata fuerit, addiſci ſpero poſſe, nam quia tot tantiq; libri hâc materiâ repleti, hîc prolixior eſſe nolui, ſed omnem ſuffuſorum diætam his verbis includam: In ſex rerum non naturalium (ſunt verò aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus &

 vigi-

vigiliæ, animi pathemata, excreta & retenta, quas propter legentes non Medicos adjicere volui) uſu, non excedant, nec deficiant, qui ſuffuſione laborant, aut ab eâdem liberati ſunt, ſic mediô tutiſſimi ibunt; Uſus enim habet laudem, crimen abuſus habet.

Hic habes, BENEVOLE LECTOR, quæ hâc vice de Suffuſione meditari ac commentari lubuit, ſi, præter ſpem & opinionem fortè quid tibi omiſſum aut minus rectè poſitum, videatur, id dierum penuriæ adſcribere, me amicè monere, mihique favere velis, decenter peto.

